


# REFUTATIO PRÆTENSIONIS Illustrissimæ Domus Ducalis Curlandiæ in Districtum Piltensem.



Uandoquidem animal quodvis irrationale, ad injuriæ sensum, ab ea se tueri quantum potest, naturâ stimulante conatur, exemplôque probat, quod Defensio sit juris naturalis. Certè homini, qui præsertim, usu rationis & animi Affectibus imperare, Defensionemque ad Normam recti temperare novit, ad se, remque suam tuendam hoc naturæ beneficio uti licebit; Non debet igitur quispiam nec vitio aut crimini vertere eum fervorem, iis Nobilibus Districtus Piltensis, qui non solum cœteris ejusdem Patriæ Civibus, Fratibus ac Coequalibus suis propter subjectionem Illustrissimo Duci Curlandiæ indecenter factam, (execrandam eorum incuriam, neglectum & vilipendium immunitatis, & Privilegiorum suorum exprobrant, quod non secus atque Gallus, ille gallinaceus unionem simul cum Grano Tritici è Terra pingvi eruens, granum potiùs quam Unionem assumere maluisset; Ita illi jura suæ Libertatis cum agnitione

jurisdictionis ducalis, & subjectione, à qua licet optimis suis juribus & Privilegiis, exempti sint, tamen privatis Affectibus & respectibus suis ducti, irrationabiliter prorsus permutare mallent) Sed etiam illustrissimi Ducis Curlandiæ Intentioni, tanquam Privilegiis totius Districtus Piltenfis perniciosissimè adversantur, seseque cum ratione opponunt. Materiam hujus Controversiæ si quis indagaverit, talem reperiet, quæ sequitur: Illustrissimus Curlandiæ Dux præten dit in Capitaneatum & Districtum Piltensem: Primum ex Investitura sua ducali. Deinde ex Cessione Juris & Traditione sibi à Svecis ultimi belli tempore facta. Denique ex Transactione cum Nobilibus multis dicti Districtus Piltenfis de submissione inita, consensu insuper accedente S. R. M. quibus rationibus Se, jurisdictionem in eundem Districtum satis evincere posse putat. Cùm verò illæ ad eandem Illustrissimi Ducis Intentionem longè non sufficiant, imò verò contra eandem apertè militent. Visum fuit ex Investitura Illustrissimi Ducis à S. R. M. Domino Domino nostro clementissimo, sub data Varsoviæ die 28. Mens. Maji, Anno Domini 1649. suæ Celsitudini concessa, subsequenti verba citare, in hunc tenorem.

Cumque inter cœtera, & hoc inter Serenissimum Prædecessorem nostrum Divum Sigismundum Augustum & Illustr. ejus Avum convenerit, ut permutatione Episcopatus Curoniensis pro Sonneburga Arce, Curiis Leal & Madrel, Illustris Dux Magnus contentetur, & ad eam rem prædictus Avus noster D. Sigismundus Augustus & Serenissimus Rex Stephanus, Serenissimusque Parens & Frater noster operam receperunt, ut  
cum

cum reliqua Curonia, Episcopatu Curoniensi quoque Sua Illustritas potiatur. Postea autem, cum vivente Duce Magno Permutatio ea perfecta non fuisset, gravissima autem de Episcopatu eo Controversia inter Divæ Memorix Decessorem nostrum Stephanum & Serenissimum Daniæ Regem exorta; tandem Serenissimus quondam Daniæ Rex per Transactionem ex certis Conditionibus, Serenissimo Decessori nostro, Regnaque Jus suum, quod habere se in eo Episcopatu existimabat, cessisset: Nihil hoc Tempore sine omnium Ordinum Consensu statuere, ea de re possumus, rem omnem in eo statu, in quo antè fuit, relinquimus, neque quin post-hac, ea de re cum Ordinibus agat, viam Illustr. Suæ præcludimus.

Quis igitur non videt, quid juris Illustris. Dux Curlandiæ in Districtum Piltensem hoc pacto habere possit, quoniam res omnis in eo, quo fuit, statu relinquitur. Status autem in quo ante fuit Districtus Piltensis, deducitur: Primùm ex Transactione, inter quondam Serenissimum Stephanum Poloniæ, & Serenissimum Fridericum Daniæ, Reges inita, quâ idem Districtus Regno Poloniæ incorporabatur Anno Domini 1583. quò Tempore licet Celsissimus quondam Marchio Brandenburgensis Georgius Fridericus, utpote præactæ transactionis Conciliator Summam triginta millium Talerorum pro cessione Districtus Piltensis, ad Regnum Poloniæ, Serenissimo Daniæ Regi exsolvit, proque ea Summa donec relueretur eundem Districtum in hypothecam à Regno Poloniæ accepisset, aliò tamen Jure quam hypothecariò eundem non tenuit.

Scien-

Sciendum autem est quod dicta Summa hypothecaria non bona Nobilium istius Districtus, quæ sunt libera. Sed solum Capitaneatum, Arcem scil. Piltensem & bona ad eandem pertinentia inoneret.

Postea, cum Illustriss. Curlandiæ Dux Wilhelmus pro dicta Summa hypothecaria Districtum, vel potius Capitaneatum Piltensem eximere vellet, ejus rei potestas per Constitutionem Regni hac Conditione illi facta fuit, ut cum supra memorati Marchionis Vidua ageret, eoque Jure, quò illa hætenus Districtum seu potius Capitaneatum Piltensem possedisset, eundem possideret.

At illa Vidua Marchionis Anspachiana, non Jure Feudi aut Subjectionis, sed verè hypothecariò Titulo Districtum seu Capitaneatum Piltensem possedit. Ergò & Illustrissimus Curlandiæ Dux tale, & non aliud Jus, prout ad præsens quærit Jus Feudi & subjectionis, pro tunc quidem agendo cum dicta Vidua, acquirere potuit, si viduæ isti satisfacisset, ob cujus rei defectum præfata Vidua paulò post per Commissarios Sr. Majest. & recuperatò Jure suo tam hypothecariò, quàm advitalitio, illud tandem Generoso Hermanno Maydel, accedente Consensu S. R. M. & Reipubl. advitaliter cesit, eique Possessionem arcis Piltensis scilicet Capitaneatus tradidit, quem illius Successores eòdem jure etiamnum tenent, juribus, immunitatibus & Privilegiis Nobilium per omnia salvis manentibus, & ad negotium Capitaneatus non pertinentibus. Uti igitur præmissa de Origine Status Districtus Piltensis, in quo à primæva incorporatione ante Investituram Domus Ducalis Curlandiæ

landiæ extitit, recensita sunt, unde evidenter patet, quod Nobilitas Districtus Piltenfis, uti libera & immediatè ad Rempublicam se referens, nulli prædictorum Principum Subjecta fuerit: Ita secundo probatus Status, in quo Districtus Piltenfis ante Investituram Illustr. Ducis Curlandiæ fuit, ex forma Gubernationis, Statutorum, Legum & Judicii, Nobilitati ejusdem Districtus, Consensu publico in Comitibus Regni Generalibus Divi Sigismundi III. Privilegio de data Varfaviæ die XXVIII. Mens. Octobr. Anno Domini MDC XI. concessorum, quæ longa articulorum serie ibidem comprehenduntur, & per Constitutionem Regni in iisdem Comitibus pro perpetua firmitate approbatorum, cujus Constitutionis formalia hæc sunt:

**S** Złachtę Powiatu Piltynskiego przy dawnych Wolnoścach ich, a z strony Czynienia Spráwedliwości miedzy nimi samemi przy dáwnych Zwyczajach iako do tąd byli zostawuemy, wczym Xiążęta Ichmość Curlandscy, ktorzy ná wykupienie Starostw w Powiecie Piltynskim Wolność mają nic derogować, y w odprawowaniu Sądow ná Mieiscach zwykłych, żadnego Impedimentu czynic nie mają, wszakże Appellacie od Sądow

B

do

do nas y Sądu naszego, á nie gdzie in-  
dziejey iść maia tak iako Sprawy Sądu  
Inflanskiego.

Sic igitur distincta fuit Jurisdictio Territorii Pil-  
tensis à Jurisdictione Curlandiæ, ut quid clarius esse  
non possit, & in hac Parte Illustrissimo Duci Investi-  
tura plus præjudicet, quam in rem seruiat: præsertim,  
quod eo Nomine cum Ordinibus regni agere neglexe-  
rit & prætermiserit.

Tertiò ex Tenore Commissionis subsequenter Do-  
cetur à Territorio Piltenfi totaliter excludi Jurisdictio-  
nem ducalem, cujus hæc sunt verba.

**N**Os Johannes Kuczborski DEI & Apostolicæ Sedis  
Gratiâ, Episcopus Culmensis & Pomesaniæ, Ada-  
mus Talwois, Samogitiæ, Maximilianus Przerębski,  
Zawichostensis Castellani, Capitaneus Petrichoviensis,  
Gvilhelmus Kochanski, S. R. M. Secretarius, Serenissimi  
ac potentissimi Principis ac Domini Domini Sigis-  
mundi III. DEI Gratiâ Regis Poloniae, Magni Ducis  
Lithuaniae, Rusiæ, Prusiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Li-  
voniæ nec non Sveciæque Hæreditarii Regis, Domini no-  
stri clementissimi, ordinumque Regni Poloniae & ma-  
gni Ducatus Lithuaniae, in Ducatum Curlandiæ &  
Semigalliae Districtumque Piltensem plena cum Pote-  
state ablegati Commissarii significamus præsentibus Li-  
teris nostris quorum interest, universis & singulis. Quod  
cum Commissione S. R. M. Domini nostri clemen-  
tissimi

tissimi & ordinum Regni injunctum nobis esset, ut in Districtum Piltensem nos conferremus ibidemque in dicto & publicatō Conventu Statum Districtus illius inspiceremus, Judices & Judicia constitueremus, in rebelles & contumaces Mandatis S. R. M. minùs obsequentes, ordinationumque ejusdem S. R. M. suppressores & detentores animadverteremus, gravioris momenti causas & controversias Nobilium cognosceremus, Appellationum ad S. R. M. interponendarum Modum præscriberemus, Præfectum Piltensem constitueremus Eumque S. R. M. & Reipubl. Fidei Juramentō obstringeremus, Decreta S. R. M. Executioni demandaremus, liberum Catholicæ Romanæ Religionis Exercitium, novumque Calendarium promulgaremus, aliaque ex præscripto mandatorum S. R. M. perageremus, ea omnia Nos in Conventu Nobilitatis ad diem 27. Mens. Martii Hasenpothy à nobis indicto habitoque, Jurisdictione nostra commissoriali ibidem promulgata pro Fide & Officio nostro re cum Nobilitate communicata ad præscriptum mandatorum S. R. M. sequentem in modum constituiisse & sanxisse, prout constituimus, sancimus & promulgamus, præsentibus Literis nostris.

Imprimis, ne imposterum à quopiam in colenda liberè Catholica Romana Religione Metus prætendi posset, Autoritate S. R. M. consensuque universi Districtus hujus Nobilitatis, hoc in vim Legis perpetuæ sancimus, ut nimirum liberum sit incolis hujus Districtus cujuscunque Status & conditionis hominibus Religionem catholicam profitentibus, vel eam profiteri volentibus, juxta Præscriptum Romanæ ejusdemque universalis

falis Ecclesiæ Sacella, Templâ, Scholas ædificare, vel antiqua in bonis suis accomodare, Sacerdotes catholicos quoscunque accersere, eorumque ministeriò in Sacris pro familia subditisque suis uti, Magistratus verò politicus, ut ex Officio & sub gravi indignatione S. R. M. teneatur tueri & defendere, ab omni vi & injuria loca sacra hominesque Religionem Catholicam Romanam profitentes, vel eam docentes, rudesque catholica fide imbuentes, ad Munia quoque publica catholicis, qui ex iis in Districtu hoc idonei fuerint, liber aditus esse debet Calendarium novum in omnibus Imperio S. R. M. subjectis Provinciis receptum. Nobilitas quoque hujus Districtus universa ad requisitionem nostram S. R. M. nomine factam, alacri animo recepit, quod ad Festum proximum S. Joannis Baptistæ præsentis Anni 1617. publicè etiam per Consiliarios introducatur promulgeturque; per Ministros etiam Ecclesiarum ad Notitiam omnium deducatur, ac deinceps ab omnibus constanter observetur, autoritate nostra commissoriali, sub gravi S. R. M. indignatione constituimus, edicimusque. Judicia imposterùm secundùm Leges & Ordinationem S. R. M. Anno 1611. Districtui huic concessam, in moderatione tamen, quam nonnullis in punctis hac fecimus Ordinatione observatâ, exercentur. Si quid tamen ex Legibus in Curlandiæ & Semigalliæ Ducatu Autoritate nostra commissoriali promulgatis, Nobilitati Districtus Piltenis usui esse possit, id quantum ratio Status Districtus ejusdem patitur, ut in usum suum quoque Nobilitas referat potestatem illi facimus.

Judices



Judices & Consiliarios terrestres constituimus hos septem Generosos nimirum, Reinoldum Brakel, Hermannum Maydel, S. R. M. Cubicularios, Vernerum Behr, Illustr. Principis Electoris Consiliarium, Archi-Marschallum Vendensem; Fabianum à Rosen, Alexandrum à Sacken, Fridericum Brunau, & Magnum Brincken, in posterumque totidem numero sint, qui à Nobilitate S. R. M. consensu accedente eligentur, qui Juramentum de Officio fideliter administrando, jureque dicendo præstabunt eâ formâ, quæ in Ordinatione S. R. M. præscribitur. Notarium terrestrem Judicii & Districtus Piltensis creamus Generosum Engelbrecht à Mengden, qui Jus dicendæ Sententiæ in Judicio habebit, neque verò eidem Officio in posterum etiam nisi Nobilis electione Judicii præficietur. Judicium illud in Districtu hoc Nobilitate sit unicum, judicio inferiore, quod rationibus Districtus bujus minùs commodum asseritur, sublatò. Quò ambages & protelationes Judiciorum, Causarumque in posterum vitentur disceptationes & controversiæ partium causarum sententiis & Decretis inserantur. Citationes & Mandata solus Præses Judicii requisitus à Partibus subscribat, atque sub Sigillo publico edat Apellationes omnes in Causis, quæ Summam quadringentorum florenorum excefferint, ad Judicium S. R. M. devolvantur, habebuntque Terminum in Judicio S. R. M. proximos quosque Menses Martium & Octobrem cujusque anni. In Criminalibus, honoremque tangentibus liberum cuique fit ad S. R. M. appellare, exceptis Causis Criminum recentium, invasionum, Spolii, deflorationis & Raptus

C

foemi-

foeminarum, deprædationum, homicidiorum dolò atque ex infidiis factorum. In Causis merè civilibus appellans impossessionatus, priusquam Appellatio illi concedatur, Appellatio in casum succubitionis de damnis & expensis relarciendis cavebit, eaque præstabit, si Appellationem temerè interpositam fuisse Decreto S. R. M. judicatum fuerit. Si quis Consiliarius & Judices Piltenses Citationibus temerè ad Judicium evocaverit, damna & expensas, eam in rem à Judicibus factas refundat.

In Executione Decretorum facienda, si ii, quorum id muneris erit, negligentes fuerint, poena triginta Ungaricalium mulctentur, parti que gravatæ damna omnia refundant.

Mandata adversus Executionem impetrata impedimento non erunt, quo minùs Executio fiat, mandata ejusmodi impetrans Mulctâ triginta quinque Ungaricalium afficiatur.

Quodsi ea Potentia, aut Contumacia, Jure victæ Partis fuerit, ut Consilarii seu Judices pares executioni faciendæ non sint, tùm universa nobilitas auxiliò eis in Executione facienda sit, à quo Officio, neque Sangvinis Cognatio, neque Necesfitudo aut Amicitia ulla quenquam excusabit, sub poena centum Ungaricalium cuivis inobedienti irroganda, pro qua cuilibet liberum erit contravenientem ad Judicium ordinarium citare.

Servitium Nobilitatis Equestre S. R. M. & Reip. debitum constituimus, ut imposterum, non minùs octuaginta Equitum armis, omnique apparatu bellico benè instru-

instructorum sit, qui quidem Equites pro portione & qualitate cujusque Nobilis bonorum ex assignatione & distributione quatuor Consiliariorum terrestrium totidemque ex nobilibus eum ad actum juratis præstabuntur, sub pœna Confiscationis bonorum unicuique contravenienti irroganda. Præfectos militares tota Nobilitas una cum Consiliariis cum Confirmatione tamen S. R. M. constituet: Quibus ab omnibus, qui Signa eorum sequentur, honor obedientia debita præstabitur, Præfectisque in delinquentes ratione qualitatis Delicti, secundum disciplinæ militaris usum durante expeditione bellicâ libera sit animadversio.

Ærarium provinciale publicum Nobilitati constituendi potestas sit, ad quod omnes mulcta, Contributionesque publicæ & collationes spontaneæ conferantur. Cujus ærarii administratio penes duos Consiliarios Seniores, & duos ex Nobilitate ad hoc deputatos sit.

Arcis Piltensis Præfectum Autoritate S. R. M. ad præsentationem Illustrissimæ Sophiæ Ducissæ Anspachianæ, uti jure contra Ducem Wilhelmum in Judicio nostro commissoriali vincentis illiusque Illustris Fratris & Tutoris Illustris Principis Domini Christiani Episcopi Mindensis, & Brunsvicensium ac Lüneburgeusis Ducis constituimus Generosum Jacobum Godemannum, S. R. M. Secretarium, isque Juramentum Fidei S. R. M. & Reip, coram nobis præstabit hac Forma.

Ego N. Juro, quod Serenissimo & potentissimo Principi ac Domino Domino Sigismundo III. DEI Gratiâ Regi Polon. &c. &c. Ejusque Majestatis Serenissimis successoribus, Regibus Poloniae & Reip, fidelis ero.

Ar-

Arcem, Præsidia & bona Piltensia, cum in Possessionem eorundem venero, in sciâ & invitâ S. R. M. & Republicâ, ac illustrissima Ducissa Anspachiana durante Jure ipsius, nemini tradam, si quid S. R. M. & Reip. nocivum scivero illud pandam, & pro posse meo avertam, sic me DEUS adjuvet, & sancta Christi Passio.

Idem alii impostero futuri Præfecti Piltenses in fide & obsequio S. R. M. & Reip. esse & permanere debent.

Quod si modernum Præfectum mori aut cedere ea contigerit, Illustris Ducissa Anspachiana, Successoresque ipsius in Hypotheca Piltensi alium Præfectum sine scitu & consensu S. R. M. non ordinabunt, neque alius ad hoc ipsum Munus, nisi indigena nobilis, & in Districtu Piltensi benè possessionatus constituetur.

Hæc S. R. M. autoritate & mandato ordinata sanctitaque Nos supra scripti Commissarii manibus nostris subscripsimus, Sigillisque consignavimus. Datum in Oppido Hasenpoth Districtus Piltensis die IX. Maji. Anno Dom. 1617.

(L.S.)

JOANNES  
KUCZBORSKI,  
Episcop. Culm. &  
Pomefan.

(L.S.)

ADAMUS  
TOLWOIS.

(L.S.)

MAXIMIL.  
PRZERĘBSKI,  
Cast. Zawi. Cap. Pet.

GVILHELM.  
KOCHANSKI.

Cum autem nihilominus Illustrissima Domus Ducalis Intentionem suam post hac urgeret: A Divo Vladislao IV. responsum fuit Illustrissimo Friderico Curlandiæ

landiæ Duci Vilnæ die XXII. Mens. Julji Anno Domini M. DC. XXXIII. his formalibus:

De Districtu Piltenfi nihil in Præsentia à S. R. M. discerni potest, nec Jure Feudi Illustrissimo Duci sine ordinum Regni Consensu tradi, quando quidem Lex publica non alio Juris Titulo eundem Districtum suæ Illustritati concessit, quàm quo Vidua Anspachiana gaudebat, quocirca ad futura Regni Comitata negotium id remittitur. Sed paulò ante commemoratum est, quomodo Illustrissimus Dux Fredericus ista Concessione exciderit, in eo autem negotio cum Ordinibus Regni, ad quos pro tunc remissus fuerat, ulterius nihil egerit. Unde arguitur, quod idem Illustris Dux causæ suæ fuerit diffusus, ideoque Ordines Regni non requisiverit, ac propterea semper Repulsam senserit, quod Responso Divi Uladislai IV. Varsoviæ die Martii Anno Domini M. DC. XXXVII. Ducalibus Ablegatis dato, demonstratur his verbis:

De negotio adjungendi Districtus Piltenfis Curlandiæ Ducatui cum sit res, de qua privatà Autoritate S. R. M. statuere non possit, futuris id Comitatis tractandum relinquit; Et tamen si ea res pro tunc Suæ Illustritatis Antecessoribus succedere nequiverit, prout satis demonstratum est, cum semper ad Ordines Regni, & ad Comitata, fuerint remissi. Nihilominus modernus Illustrissimus Dux in negotio Antecessoribus toties negato perexit, quando Processu Juris eò quidem Nomine contra Generosum Ottonem Ernestum Maydel modernum Capitaneatus Piltenfis Possessorem instituto, & sub Illustrissimo Olim Georgio Ossolinski, supremo Regni Cancellario Vilnæ, Feria quinta post Dominicam Passionis pro-

xima Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto agitato, tandem præter expectationem suam talem Sententiam experiri debuit, dum omnibus Illustrissimi Ducis rationibus longâ serie recensitis, examinatis & discussis sic decretum fuit.

Sacra Regia Majestas auditis Partium Controversiis, visisque & benè perpensis ab utrinque Juribus & Investituris, quantum attinet Jus Feudale, quod Illustrissimus Actor sibi ad Districtum sive arcem Piltensem una cum Tenuta Curoniensi, & illorum attinentiis universis vigore Tractatum, Investiturarum & aliarum Jurium in Processu specificatorum, competere prætendit, eo in Consideratione habitò, quandoquidem Illustrissimus Actor non deducit, neque comprobat, allegatos Tractatus effectum suum sortitos, nec eorum vigore ipsum, nec Illustrissimos Antecessores ejus utile bonorum præfatorum Dominum aliquando habuisse, nec juxta earundem Investiturarum continentiam, aliquid ea in re omnium Ordinum Consensu hucusque statutum esse. Ideò salvis in omnibus, aliisque suis Punctis, Conditionibus & Articulis, Investitura & Conventionibus, cum eodem Illustrissimo Actore Anno millesimo sexcentesimo, trigesimo nono, intervenientibus eisdemque in suo robore & viridi, observantia sacro sanctè manentibus, reque omni in statu eo, in quo antehac fuit, juxta earundem Investiturarum tenorem relicta, neque quin posthac ea de re cum Ordinibus Regni agat, via Illustrissimo Actori præclusa, citra tamen derogationem & præjudicium Jurium Generosi moderni citati, eundem Illustrissimum Ducem Curlandiæ incompetentem hoc in Puncto Actorem

rem esse adinvenit. Quod verò concernit Exemptionem eorundem bonorum, & hypothecam in eisdem pro summa triginta millium Talerorum, licet quidem is idem Illustrissimus Actor manifestationem eo nomine Anno millesimo quingentesimo octuagesimo quinto factam, ac Consensum Serenissimi felicis memoriæ Parentis S.R. M. desideratissimi Anno Millesimo quingentesimo nonagesimo primo benignè concessum, ac Decretum commissoriale Milles. quingentesimo nonagesimo septimo, tum Constitutionem Regni Millesimi sexcentesimo noni, & varia Responſa comitialia ratione dictæ exemptionis & hypothecæ producat, nihilominus tamen cum Antecessores Illustrissimi Actoris intra Triennium & Trimestre secundum Juris Præscriptum, & immemorabilem hujus Regni & curiæ Consuetudinem eorum omnium Executionem neglexerint, proindeque Jura & Privilegia ipsò factò evanuerint, nulliusque sint roboris & momenti. Generosus autem Citatus ex Privilegiis & documentis authenticis pro parte sua productis, potius & pingvius Jus & pacificam possessionem tam ratione utilitatis quam hypothecæ in summa triginta millium Talerorum Imperialium in eisdem bonis suprâ specificatis, de quibus res est, legitimè & evidenter deducit & comprobat, ideò inhærendo Juris præscripto, præſenti Actione incompetenti adinventâ, Citatus ab Actione & impetitione Illustrissimi Ducis liber pronuntiatur, atque circa Jus suum advitalitium, tum quoque circa eandem hypothecam summæ præfatae triginta millium Talerorum imperialium Ipsum cum suis Hæredibus & Successoribus concernentem, nec non pacificam eorundem bonorum & illis

anne-

annexorum quorumque Possessionem dicta advitalitate durante, eâ verò finitâ usque ad integram summæ præfatae triginta millium Talerorum Solutionem & Restitutionem juxta Privilegiorum & Jurium dicto Generoso citato servientium Tenorem & continentiam conservatur. Jus verò salvum & integrum Illustrissimo Actori ratione evictionis ex Causa hypothecæ in supra specificatis bonis & attinentiis suis universis pro summa triginta millium Talerorum per olim Illustrissimum Wilhelmum Ducem, Illustrissimi Actoris Parentem Illustrissimo olim Joanni Sigismundo Electori Brandenburgico, Duci Prusis, ut Illustrissimus Actor dicit, persoluta, ipsi illustrissimo Actori juxta Inscriptionem ea de re factam serviens, contra hæredes & Successores dicti olim illustrissimi Joannis Sigismundi, & alios quosvis, in quantum & prout de Jure, in foro fori reservatur.

Nunc intellecto ex supra allegatis totaliter concedisse Jus quod Illustrissima Domus Ducalis ex Investitura sua in Districtum Piltensem se habere putat, eò quod præter alias rationes. Antecessores & sua Celsitudo rem neglexerint, & cum Ordinibus Regni eò nomine nunquam egerint. Ad reliquas porro Illustrissimi Ducis Objectiones respondendum est, scilicet quod à Svecis Cessionem & Traditionem Districtus Piltensis obtinuerit, Manifestum est autem Svecos pro tunc, utpote nullius Juris Possessores, qui Violentia armorum eundem Districtum occupaverant nec tamen pacificam ejus Possessionem obtinuerant, legitimam & de Jure sufficientem traditionem Illustrissimo Duci Curlandiæ facere nequivisse, quin etiam Illustris. Ducem in præjudicium Reip. de re tali cum

Hoste



Hoste agere non debuisse, de quo quidem plura verba facere odiosum foret. Sed, cum triti vulgatiq̄ue Juris sit, quibus modis rerum Dominia licitè acquiri possint, hæc res demonstratione ulteriori non eget. Etenim Regni Sveciæ Ministri rem non suam in nullo Jure Illustrissimo Duci tradentes nihil tradiderunt, sic & Illustrissimus Dux quoque ab illis nihil accepit, atque ideò in vanum, rei, quæ non est, mentionem facit.

At hæc rationes ad expungendam traditionem Illustrissimo Duci à Svecis factam, si forsan cuiquam minus sufficere viderentur, publicâ mox Pactorum Autoritate fulciri possunt. Introspeciat veritatis & æquitatis amans Tractatum pacis Olivenfis, qui articulo X. his verbis cavet.

Obligationes atque recognitiones si quæ sunt ab Illustris. Curlandiæ & Semigalliæ Duce, aut incolis Curlandiæ & Semigalliæ, Districtusq̄ue Piltensis exortæ per Svecos, aut vice versa à Svecis per Polonos in totum cassantur, nullumq̄ue habere pondus declarantur.

Postremò quod attinet Transactionem, quam propter Submissionem Illustrissimus Dux cum pluribus nobilibus Districtus Piltensis, sed non paucis etiam contradicentibus aut protestantibus iniiit; Eadem, quoniam Responso (cum Ordinibus Regni agat) toties repetito non conveniet, per se planè subsistere nequit. Siquidem Nobilitas Districtus Piltensis, cum à Rep. dependeat, in re ad ordinationem Reip. spectante, per se nihil agere potest, imò dum audet, quod facere non licet, in Rempubl. & Leges delinquit, ex Delicto verò reatum incurrit; Quæ quidem res impostèrùm officiis Generosorum Regni magniq̄ue Ducatus Lithuaniae instigatorum examinanda relinquatur.

linquitur. Præactæ verò Transactioni præter rationes alias opponitur non solùm ordinatio superiùs de verbo ad verbum inserta, quam Commissarii S. R. M. & Reip. Auctoritate in Districtu Piltenfi Anno Domini M.DC.XVII. die 9. Maji constituerunt, quoque ab incolis Districtus Piltenfis ea omnia firmiter observentur, his verbis caveatur, hoc in vim Legis perpetuæ sancimus. At quæ Perpetuitas hæc foret, si post quadraginta & aliquot annos Nobiles privatâ suâ Auctoritate ac Permutatione, eam publicæ Legis vim abrogare possent. Porrò cum pro negotio illicito consensum S. R. M. qui tamen non nisi ad sinistram Informationem impetrari potuit, Domus Ducalis jactet Documentorum supra allegatorum verbis.

Cum Ordinibus Regni agat item cum sit res, de qua S. R. M. privatâ Auctoritate statuere non possit, futuris Comitiiis tractandum relinquit.

Tam Transactio, quam Consensus Effectum sortiri nequeunt, quia publicâ Auctoritate, ad quam S. R. M. ipsa se retulit non fulciuntur.

Hoc igitur est, quod Districtus Piltenfis Nobiles ad inconsideratam Confratrum & Coæqualium suorum submissionem, Jura & Privilegia sua contra Illustrissimi Ducis Curlandiæ Impetitionem propugnantes, in publicum edere voluerunt, ut omnibus constare possit, quantò Reip. præjudicio Illustrissimus Curlandiæ Dux Jurisdictionem in Districtum Piltensem ambiat; In qua materia postquam in Comitiiis proximè præteritis Ordines Regni, ac præsertim Terrarum Nuntii, probè sufficienterque informati fuissent, integritati Jurium Reip. invigilantes, hanc ut sequitur Protestationem & manifestationem ad Acta castrensia Capitanealia Varsaviensia interposuerunt.

Actum

Actum in curia Regia Varfaviensi Feria quartâ post  
Festum Sanctorum Innocentum proxima Anno Domini  
millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto.

Ad Officium & Acta præsentia castrensia Capita-  
nealia Varfaviensia, personaliter venientes Generosus  
Paulus Szydowski, Pincerna Palatinatus Plocensis, Ste-  
phanus Tarnowski, Judex terrestris, Juniuladislaviensis,  
Stanislaus Michael Vlysz, Vexillifer Gostinensis, Petrus  
Paulus Stempowski, Subdapifer Gostinensis, Stanislaus  
Zaremba, Judex terrestris Sandomiriensis, Nicolaus  
Szkażewski, Vexillifer Terræ Bielsciensis, Paulus  
Mlocki, Judex terrestris Ciechanoviensis, Franciscus  
Golinski, Burggrabius Terrestris Koninensis, Joannes  
Melchior Billewiz, Judex Castrensis Ducatus Samogitiæ,  
Adamus de Obory Oborski, Dapifer Livenfis, Alexander  
Trzebuchowski, Pincerna Juniuladislaviensis, Joannes à  
Bratofin Zenowicz, Marschalcus Terræ Osmianensis,  
Capitaneus Kiernoviensis, Matthæus Przecisjenski, Sub-  
judex, Paulus in Mostowo Mostowski, Notarius Terræ  
Plocensis, Nuncii ad Comitîâ Regni Generalia coram  
eodem Officio Manifestationem & Protestationem fece-  
runt, in hunc, qui sequitur, modum.

**N**Os Palatinatum, Terrarum ac Districtuum Regni  
Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniae ad Comi-  
tia Regni generalia Deputati, hanc coram Actis castren-  
sibus Capitanealibus, Varfaviensibus facere Manifesta-  
tionem ac Protestationem Publicæ rei expedire duximus.  
Quoniam propter Discordantiam certorum Membro-  
rum, Comitîa concludi aut quævis alia publicâ Lege  
statui,

statui, firmiter requiverunt, ideoque etiam in *Causa Nobilitatis & Capitaneatus Districtus Piltensis*, contra *Illustrissimi Ducis Curlandiæ Conatus*, quibus eundem *Districtum* privatâ autoritate, ex *Cointelligentia & Inductione* certorum ejusdem *Districtus Nobilium Consensu S. R. M.* ad sinistram *Informationem* ad id obtento, non attentâ *Incorporatione & Connexitate* cum *Rep.* ex *Transactione*, de Anno millesimo, quingentesimo octuagesimo tertio, uti & ex *Constitutione Regni* de Anno millesimo sexcentesimo undecimo, *Decretoque S. R. M.* de Anno millesimo sexcentesimo quadragésimo quarto, denique *Cassatione* per *Instrumentum Pacis Olivensis* omnium eorum, quæ in casu simili belli *Svecici Violentiâ* tanquam nulliter gesta sunt, contra hæc & complura alia *Documenta*, illius *Intentioni* prorsus contraria, tum, quod maximè notandum est, non requisitis *Regni Ordinibus* sui *Ducatus Jurisdictioni* adjicere, eoque *Districtu* sui *Ducatus Dominium* cum *Reip.* *Diminutione* modò illicitò ampliare satagit, pro nunc nihil decerni potuit. Ideò pro *Interesse & Emolumento Reip.* *Districtus Piltensis Immunitates & Jura* nunc & in futurum facta tecta manere, istiusque *Nobilitatis Indemnitati* maturè consulere cupientes, hanc *Manifestationem ac Protestationem* contra *Illustrissimi Ducis Curlandiæ intentionis* unanimi *subscriptionum nostrarum Consensu* ad *Acta præsentia Castrensia Capitanealia* interponere volumus, prout etiam de nullitate *Prætensionis Ducalis* in *Districtum Piltensem*, contra verò quod *integra & inviolata Districtui Piltensi Jura & Privilegia* manere debeant, præsentibus sollemnissimè protestamur, *Salvam Actionem nomine*

mine Reip. contra dicti Districtus Piltensis Nobiles quotquot fuerint, qui in derogationem Jurium totius Districtus impertinenter Illustrissimo Duci se submiserunt, eoque facto in Remp. deliquerunt, atque ideò bona sua tanquam vacantia publicæ dispositioni commiserunt, nisi resipuerint, Instigatori Regni in Comitibus proximè futuris reservantes. Quare præsentem manifestationem ac Protestationem nostram actis præsentibus, Castrensibus Capitanealibus inscribi volumus, editam & subscriptam Varfaviæ post interrupta Regni Comitibus, Anno Domini millesimo, sexcentesimo sexto.

Ex Actis Castrensibus Capitaneatus Varfav. rescriptum

(L. S.)  
Castr.)

Correxit GADOMSKI.

Et hunc nodum priusquam Illustris Domus Curlandiæ solvat, frustra de Jurisdictione in Districtum Piltensem cogitat. Coeterùm, quod in charta quadam typis vulgata, quæ intitulatur Summaria Deductio Juris Illustrissimis Curlandiæ Ducibus in Districtum Piltensem competentis, hæc verba continentur: Intentata etiam Anno 1644. moderno Possessori (scilicet Capitaneo Piltensi) Domino Maydelio Actio est, & Jus vigore investituræ competens Illustrissimo Principi mediante Decreto conservatum. Perperam sanè Tenorem ejusdem Decreti superius de Verbo ad Verbum expressi, uti & alia plura allegari, & in rem Domus Ducalis detorqueri deprehenditur, cum in rei veritate sensus ejusdem Decreti, ab Intentione Ducali longè sit diversus & talis:

Quandoquidem Actor Illustrissimus non deducit, neque comprobat allegatos Tractatus effectum suum fortitos, nec eorum vigore ipsum nec Illustrissimos Antecessores ejus utile bonorum præfatorum Dominum aliquando habuisse, nec juxta earundem Investiturarum Continentiam aliquid ea in re omnium Ordinum Consensu hucusque statutum esse: Ideò salvis in omnibus aliis (quod benè notandum) suis Punctis, Conditionibus & Articulis, Investitura & Conventionibus &c. manentibus &c. Illustrissimum Curlandiæ Ducem incompetentem hoc in Puncto (i. e. suæ Prætensionis in Districtum Piltensem, quod iterùm benè notandum) Actorem esse adinvenit &c. &c.

Quemadmodum autem pravis ejusmodi Interpretationibus & Informationibus, Causæ Nobilium contradicentium, & Jura sua defendentium sinceritas, in facie Reip. magis magisque collustratur, plurimorumque Patrociniis custoditur, ita quoque Generosa eorundem Nobilium Piltenesium pectora non conturbantur, iis injuriæ verbis, quibus in præfatæ Deductionis putativi Juris Ducalis Conclusionem Immorigeri Subditi dicuntur, ad sonum vocis Echo, nam non Entis nullæ sunt Qualitates.

Maneant igitur Jura & Privilegia Nobilitati Districtus Piltenensis integra & salva; hac documentorum præmissorum basi firmisimè nixa. Maneat quoque iisdem integerrima fidei in Remp. polonam fama, olim Testimonio Illustris Domini Chodkiewiczzy &c. comprobata hoc tenore:

Joannes

**J**Oannes Carolus Chodkiewicz, Comes in Sklow By-  
chow, de Myszk, Capitaneus Samogitiæ & Dorpati,  
Commissarius Generalis Livoniæ, & Exercitus M.  
D. Lith. supremus Præfectus.

Universis & singulis quorum interest, notum facio,  
Generosos Dominos Nobiles Piltenses fidem suam &  
promptitudinem S. R. Mti. & Reip. indefessò Studio ap-  
probantes, non solùm tùm temporis, cum Carolus Su-  
dermanniæ Dux Exercitum suum copiis nostris ad Kir-  
cholmium acie opposuisset, suppetias nobis expeditâ equi-  
tum alâ venisse, & prælio cum eodem commisso adfuisse,  
strenuèque & fortiter depugnasse: Verùm etiam recenti  
hac adversus Mansfeldum expeditione non vocatos à Me,  
nec literis S. R. Mtis. admonitos, sed Sponte sua, & ultro  
sumptu suo eâdem promptitudine unum vexillum Equi-  
tum in Castra adduxisse, fidelemque & tam velitando,  
quam incurrendo hostem, tùm vigiliis & omni Offici-  
orum genere operam strenuam navasse. Quæ, cùm  
Laudem quam maximam promereantur, & ab innata  
generosis animis gloriæ Cupidine fluxere, cum præte-  
rea Virtus, fidei Sanctitas, & res præclarè gestæ Immor-  
talitate Famæ tanquam Justissimò pretiò rependatur, ha-  
rum Virtutum hujus fidei ipsorum Monumentum, præ-  
senti hoc Testimonio Posteritati & æternæ memoriæ  
consecro. Scriptum in Castris 27. Octobr. Anno 1608.

JOANNES CAROLUS CHODKIEWICZ,

m. p.

(L.S.)

Faveat denique, quisquis est bonus Reip. Civis, æquitatis & Libertatis amans, justæ Nobilium Piltensium defensionis contra Impetitionem Jurium & Privilegiorum eorum, quoniam sub ea Defensione Reip. quoque Polonæ negotium vertitur.

Si enim in Jure civili, qui Famam negligit, crudelis dicitur, quanto verò iidem Nobiles crudeliores forent in se, suamque Patriam, si neglecto naturali legitimæ Defensionis beneficio non solùm suam, sed etiam successorum & totius Posteritatis Incolumitatem Illustrissimæ Domus Ducalis Curlandiæ acquirendi desideriis subjugandam permetterent.

Cùm itaque, quod Jure fit, rectè fiat, ideoque Nobiles Districtus Piltensis Causam suæ Defensionis, Disquisitioni Legum, & Reipublicæ cognitioni committentes, nullius omninò Invidiâ & Odiò prohiberi debuerunt, vel imposterum debeant, quo minus hac suæ Defensionis Industriâ, tam cœteros Nobiles, Confratres suos ad meliorem sensum & Concordiam secum revocent, quam etiam se suaque Jura S. R. Mtis. totiusque Reipublicæ Curæ & Protectioni devotissimè commendent, nemo negare poterit, quod Nobiles Piltenses Protestantes hætenus pro Causæ suæ Defensione egerunt, hæc viâ & ratione justè fecerint, & imposterum facturi sint.

